Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



115) Aribo in vita S. Corb. c. 35: Ministri viri Dei cum ad castrum Magensem cum ejus corpore venerunt, ab ipsa porta urbis a custodibus Longobardorum repulsi sunt, dicentibusque, quod nequaquam corpus viri Dei fuisset, sed machinis fore insidias, ut urbem ~~Majensem~~ capere potuissent. His ita dicentibus ecce littere Longobardorum Regis a Papia ibidem pervenerunt, qui tanti viri corpus praecipiebant cum summo honore recipere. Eo suscepto vasculum aperuerunt, ut experimento inde didicerent veritatem. Caput XXXVI. Cumque pallium super corpus ejus expansum, et sudarium, quod fuerat super caput ejus, abstulerunt: ecce iterum sanguis ex naribus viri Dei egrediebatur calidus, qui inter tot montium spatia fuerat adportatus, et pulcritudo faciei illius talis inveniebatur coloris, ut prius erat illo vivente. Tunc omnes etc.

116) Aribo c. 37.

117) Aribo c. 38: Quadam vero die dum puer parvulus in nocte ipsius viri Dei solemnitate secus muros civitatis incaute cucurrit, pede lapso in praecipitium decadebat. Erat autem ibi tantae altitudinis spatium, ut intuentes magnus pavor invaserat, atque ad ima montis ipsius Passeris amnis intumescerat fluctibus. Quis enim aliud de ipso arbitrabatur puero, nisi mortuum esse inter saxorum scopula ingentia disruptum? Et quamvis ad ima montis pervenisset, nequaquam fluvium evadere potuisse. Qui dum irent cadaver quaerendo, amne super pontem transgresso, contemplabantur puerum saxo cuidem inhaerentem. Qui arreptis funibus per saxorum ascendebant cavernas, usque dum ad puerum pervenerunt. Qui ob merita viri Dei non tantum vivus, sed etiam inlaesus repertus est. Quique etiam divinae largitatis munere ipso praeerat episcopatui multis diebus. Ex hoc capite ~~multa~~ discimus. Et I. puerum hunc parvulum fuisse ipsum Aribonem vitae S. Corbiniani auctorem et Episcopum Frisingensem ordine quartum, ~~certum est~~: quia nec Erembertus Corbiniani frater et successor, nec Josephus patria Veronensis (sen potius Breonensis) qui anno 749 Episcopus factus XV annis praefuit, post annum 730 puer parvulus esse potuit. Cur Aribo nomen tacuisset, si non ipse fuisset?